



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicis totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

IX. In Domin. IV. Post Epiphan. Ipse vero dormiebat. Matth. 8. Arg.
Lethargus Domini.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO IX.
IN DOMINICA IV. POST EPIPH.
Ipse veró dormiebat.

Matth. 8.

ARGUMENTUM.
LETHARGUS DOMINI.

I. **P**ervulgata à multis sæculis
fciolorum quæstio est, nec
ab uno sphynge sapientif-
simis Oedipis proposita ;
quidnam Deus patret, ope-
returve in cælis? *A.* Compertum ete-
nim est, negotiosissimum esse Deorum
otium, & in altissima quiete irrequietis
gaudere laboribus. *Pater meus,* inquit
Ioan. 5. 17. Verbum incorporatum, *usque modo o-*
peratur. nec unquam laxat operas. Gau-
dent divina perpetuo motu, & jugi agi-
tatione sese vegetat æternitas. In ipsis
Summatibus dehonestamenti quod-
piam genus est, continuas agere ferias,
æternóque torpescere ævo. Verùm
quodnam illud est, quod continuo ver-
sat Numen negotium?

Augustissimus sacros inter Proceres
Augustinus hoc super dubio consultus,
respondisse fertur: Curiosus stans in-

fernum, & simplicibus apparat para-
dysum. Qui enim sublimia, & inacces-
sa Divinitatis arcana retuso speculatur
ingenio, multa subinde caligine suffun-
ditur, Salomone testante: *Qui scrutator* *Prov. 25.*
est majestatis opprimitur à gloria. In ca-
ligine autem quid aliud sibi architecta-
bitur, quàm casam, errorem, ruinam,
eámque sæpius exitialem.

Primævi Christianæ professionis *Deus quid*
cultores ab insultantibus sibi Ethni- *agat in*
cis eodem postulato irritati, quid *caelis.*
nimirum faceret fabri filius? (ita per
despectum Dominum convitiaban-
tur) reposuere: Quid agat, sandapilam
adaptat Juliano vestro. Quæ respon-
sio, etsi non nisi jocosè prolata, ex
Tripode sumpta videri potuit; quum
haud multò post, perfidus apostata
justissimas suæ impietatis dederit pœ-
nas.

Sole-

Luc. 2.

Solemnior, & sacris paginis conformior solutio est, quod alta deprimat, depresso subleuet. Hic lusus est Superum, quem ludunt in Orbe terrarum coram filiis hominum, fastuoso elatos supercilio deponunt, abjectos, & aliorum prostratos plantis sublevant. Desumptum hoc axioma imprimis ex Seraphica nostra Symphonisâ in entheo suo carmine concinente: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Deposuit Angelum Luciferum, & exaltavit hominem vermiculum. Deposuit purpuratum illum Epulonem genio indulgentem, & sublimavit Lazarum micam emendicantem. Deposuit altissimo rerum dominio pollentes, & exaltavit ancillulas obsequentes.

Mitto aliorum sententias. Mihi si hodierna luce idem proponeretur dubium, dicerem: *Dormit. Ipse verò dormiebat.* Et quidem non impiis duntaxat, sed & iustis; non Judæis tantum, sed etiam aliis Apostolis. Quod qua ratione intelligendum sit, paucis aperiam.

§. I.

Dormit Deus impiis per longanimitatem.

II. SACRâ Regum perhibente historiâ discimus, Eliam legem Domini dei sui flagrantissimè zelantem, omnem movisse lapidem, ut apostatas à religione avita Israëlitas, ad ejusdem cultum reduceret. Eum in finem, quodam tempore, coacto populo, & idolorum vanitate ob oculos posita, eos valido verborum alloquio, & vehementi affectuum tonitru est aggressus, dicens:

Quousque claudicatis in duas partes? si Baal est Deus vester, sequimini eum; si autem Dominus est Deus, sequimini illum. Compertum vobis probè est, quod nemo duobus Dominis servire queat; itaque alterutrum deligite, & diligite. Si Baal præfertis, & arbitramini Deum verum, servite illi soli; si autem Dominum, illius vos servitiis ex assè dedite. Ne autem vobis dubium sit, quem eligatis, medium hoc vobis suggero. Ecce ego solus, & unicus ex Prophetis Domini superstes sum, poparum autem Baal quadringenti, quinquaginta. Si placet dentur nobis duo boves, mihi unus, alter ipsis; hos immolabimus in suo quisque altari, & quorum victimam Numen citra ligna, cælitus incenderit, ille sit verus Deus. Audit hæc avidè populus, & illico applausit. *Optima propositio.* Convocantur ergo eum in finem sacrificuli Baal, ara surrigitur; cæditur, & imponitur illi victima, fervet attonito ad spectaculum populo pomparum, poparumque ministerium. Etenim oblato, vel vindicato sibi offerendi primatu, vocibus inconditis, non tam cælum, quàm aërem ferientibus sacrilegè idolum suum pulsare admittuntur, sanguine & lachrymis propitiare contendunt, proprii corporis lanienâ in vota inflectere inardescunt. Hunc in modum quum dimidium prope diem incassum traduxissent, dente joculari excipiens eos Elias improperabat, dicens: *Clamate voce majore, Deus enim est, & forsitan loquitur, & in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Destinate validiores, efficacioresque vocum veredarios, vota vestra ad Baal delaturos. Forsitan ille confabulatur

3. Reg. 18.

27.

bulatur in suo gynecæo, nec sacrificiis intendit; aut symposium cum sociis diis celebrat, aut forsitan profectus est ad Garamanthas & Indos, aut quod credibilius, laboribus fessus stertit, alto oppressus lethargo. *Clamate voce majore.* Et nisi saxum purum, putumque fuerit, accurret, nisi indormiverit, iuscipiet vota, precésque. Cachinnus hic erat Eliæ, splene liberrimo in opprobrium idolomania institutus.

Deus dormit impiis.

III. Ego nihilominus in sensu morali audacter depugno, dormire Numen optimum, & ut dixi, imprimis impiis per longanimitatem suam. Etenim si quispiam visitet domum cuiuspiam viri gravis, & cordati, & deprehendat familiam inter se licentiùs agere; ancillas in uno angulo aures turpibus conspurcare colloquiis audiat; filios in alio nugis indecentibus distentos cernat; quid putatis, an non illum aut absentem, aut somno oppressum ominabitur? Item, si alter defleat ad agrum, & lupos, gregem inter, tragædos agere animadvertat, nonne opilionem stertere Morphæo delusum decideret. Vel si quis sub noctis conticinium prospexerit per fenestram fumi, ignisque volumina, sese eglomerare, nonne vicinum suis indormire damnis conjiçiet?

Et ego reflectendo me ad magnæ hujus œconomia regimen, cheu quæ incendia, quas rapinas luporum non observo! quibus insolentiis, & excessibus non cogor indolere? Video enim, aut minimum audio, bene multos effractis pudoris claustris, igne libidinis æstquare, sacros conjugii thalamos per omne dedecus dehonestare, affinitatis vincula

polluere, ac distrumpere, sine ulla reverentia Numinis, sine ulla verecundia sui, citra ullum hominum respectum debacchari. Video alios per omne nefas in proximorum fortunas, in famam, in corpus, in sanguinem grassari; video ex templis ardentissimum prædecessorum zelum; ex curiis jus, & æquum; ex aulis mores, & honestatem; ex urbibus fidem, ex vicis pristinam illam simplicitatem profligatam. Video indies latius serpere vitiorum lolium, excindi urbes, depopulari provincias, religionem Orthodoxam opprimi, &c. Quid ad tam luctuosum dicam spectaculum? Quid sentiam?

Compertum mihi probè est, quàm severè in alios animadverterit, in confesso, ut olim universi Orbis insolentiam cataclysmo involverit; liquet Pentapoleos probra sulphureis expiisse ignibus; Pharaonem insultantem populo suo, maris rubri obruisse fluctibus, Judæos identidem gravissimis castigasse suppliciis. Jam verò cum cessent judicia Domini, cum scelera prævaleant virtutibus, cum malevolus benedictiones præripiat, opes ancillentur sceleribus, & quò quis gravior est iniquitate, eò opulentior sit possessionibus ac divitiis; quid dicam? quid inferam? Dicam cum Eusebio Emisleno: Expectate modicū, Dominus dormitat. Ita præfatus Author in hunc locum: *Dormire videtur pastor, quando lupi in ovem seviunt, quando fures rapiunt, & non est, qui eripiat. Sic igitur & Christus, quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quando seviunt tyranni, quando lupi in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt.* Longanimitas Domini Dei nostri, quæ

Euseb. Emiss. in Matt. c. 8.

&c

& supplicia suspendit, & inducias ad respiscendum scelestis dispensat, somni cujuspiam umbram obtinet; ut

Psal. 120.
4 *quantumvis non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël; indulgentia tamen ipsius somnus, ac lethargus quispian censeatur.*

Longanimitate Dei non abutendum.

IV. Hac longanimitate, hoc somno identidem abutuntur impii, & quò diutius Dominus connivet, eò insolentius ad omnia scelera recinguntur.

Verùm quicumque ii sunt, audiant ad sese perorantem D. Paulum Apostolum: *An divitias bonitatis ejus, & patientia, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quòd benignitas Dei te ad penitentiam adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & impaenitens cor thesaurizas tibi iram in die ire.* Quæ vesania tua est, impiissime homuncio, ut expatientia, ac longanimitate, ad graviora perpetranda scelera ansam capias? ut impudentius fræna laxes injuriis? ut iisdem innixus tot annis peccatorum sordibus merfus hæreas. Multa anno evoluta à te commissâ nôsti scelera, nec quicquam tibi adversi accidisse, gavissus es; nec unquam ad placandum Numen conversus es. Quid, an putas illud eneme, aut impotens jam esse ad ulciscendum? Scito, quòd quo graviore venturum sit pede, eò graviore manu. Dii laneos pedes habent, sed ferreas manus, & tarditatem supplicii gravitate compensant. Tantò enim districtiorem justitiam in judicio exiget Deus, quantò longiorem indulgentiam ante iudicium prorogavit. Scito ajo iterum, ut ut nunc dormire videatur, & connivere, invigilabit suo tempore in ultionem

Deus gravissus punit, quòd tardius.

Psal. 40.9. *tui. Numquid qui dormit, non adjiciet*

ut resurgat? Psallit Hymnopæus.

V. Indormierat aliquantò prolixius Dominus temporibus Abrahæ Patriarchæ super Sodomam, ac Gomorriham, laxarunt illæ, connivente ipso, franos cupiditatibus, & æstro libidinis perciti humana, divinaque jura perfricta fronte violabant. Sed quid factum? *Excitatus est, tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Excitatus est clamore ipsorum. Quippe: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Excitatus est hoc clamore, & ait: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Videbo, quis hic tumultus? quæ insania? quæ insolentia? Vidit, & mox in furore indignationis suæ sæviit in illos: *Et pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrhæ sulphur & ignem, à Domino de calo.* Verè longanimis Dominus, verè misericors, sed & justus, plectens hoc graviore manu, quòd graviore pede.

Psal. 77.
64.

Gen. 18.20

Ibid. 19.24

VI. Indormierat item sub tempus sævissimorum Regum Ægypti, desæviebant impiissimi Pharaones crudelissimè in populum Domini, annis circiter centenis; nec adultis patiebatur, nec infantibus. Illi laboribus ad caminos laterum exhauriebantur; isti in flumen, solâ rei innocentiam demergebantur. Videbatur eorum Dominus omninò oblitus, nulla iis spes desuper, nullum sidus propitium affulgebat. *Ipsè verò dormiebat.* Sed eventum accipite: *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, &c. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* Et enim curus Pharaonis, (ut alia mittam

Exod. 12.

*Psal. 77.
66.*

flagella) & exercitum ejus demersit in profundum maris.

Dormit etiamnum super regnum nostrum, sicut pauperes opprimi à potentioribus, violari jura, sacra, profanaque misceri per omnia. Dormit super quemvis impium obstinatum, ac præfractum, sinendo ipsum ire secundum concupiscentias suas, sed prætolamini modicum evigilabit brevi Dominus, & in exterminium ipsius exurget. Prætolamini oppressi, & videbitis vindicem dexteram; prætolamini subditi, & sentietis Dominum, vestrum adiutorem, adversariorum oppressorem: *Dominus enim, ut scribit S. Gregorius, est patiens redditor, quia peccata hominum, & patitur, & reddit. Nam quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos diutius damnat.* Tantò districtiorem de iis exigit rationem, quantò longiorem ante judicium prorogavit patientiam. Moram suam gravitate suppliciorum compensat. Nemo itaque abutatur ipsius indulgentia, ne eum ferò licèt, sed ferio vindex apprehendat justitia.

*S. Greg.
hom. 13. in
Ev.*

§. II.

Dominus dormit justis in desolatione.

Christus dormit justis in quo modo.

Eucher. lib. de form. spir.

VII. **H**unc in modum Dominus dormit impiis, ac obstinatis in malo; sed non minus subinde, justis, & electis; idque tunc imprimis, quum eos sinit gravius tentari, exhauriri egestate, occupari ægritudine, fame stringi, aliisque furentibus excipi tempestatibus. Ita Eucherius; *Dormire Domini est anxius tardius subvenire.* Hinc repetitæ

illorum cum Psalte & ipso Christo Domino nenix: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me.* Hinc illæ ejusdem: *Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem.* Itane tibi totus excidi? Respicio circumquaque, & non est, qui adjuvet. *Domini dormire est tardius subvenire.*

Psal. 21. 9.

Psal. 43. 23

Deus dormit, ad probandam fidelitatem nostram.

VIII. Verum utut uno oculo nictitat, altero acutiùs invigilat. Simulat se dormire uno oculo, ut periclitetur altero fidelitatem, ac virtutem nostram. Non quasi harum ignarus sit (ipse enim novit, quid sit in corde hominis) sed ut homo sibi ipsi, & aliis innotescat. Dominus, quod nonnunquam a terfamilias, qui sese in intimum subducit cubiculum, quasi somnolaturus, interea per rimam prospicit, quid actitet familia.

Hanc doctrinam comprobat doctissimus Cajetanus in illa verba Psaltis regii: *Palpebre interrogant filios hominum.* Metaphoricus, inquit, est sermo, ad similitudinem hominis claudentis oculos, ut experiatur, quid, se non vidente, alii faciant. Fideles filii, qui dormitante, aut absente patre, vel versante in castris, ita se gerunt; atque in ædibus propriis commorante. Fideles famuli, & ancillæ, si quiescentibus domini, æquè seduli inveniuntur; ac illis vigilantibus, & inspicientibus. Fidelis conjunx, si ut casta Penelope, aut Lucretia, marito foris militante, domi suæ in laboribus sese contineat. Fideles alii discipuli, ac subditi; qui idem præstant suis Professoribus, Dominiisque, aut vigilantibus, aut dormitantibus ipsis. Ita claudit etiamnum oculos Dominus, periclitaturus nostrum in se amorem, ac fidelitatem.

Psal. 10.

Cajet. h. 4.

IX. Hac

*S. Antonii
tribulatio.
S. Athan.
in Vita,
c. 8.*

IX. Hac ratione indormiit quondam magno illi Anachoretarum Conditori Antonio. Etenim à Lemuribus, permittente Domino, in tantum exagitatus est, in tantum monstris terrefactus, flagris concisus, ut se profus derelictum ab illo arbitraretur. Exantlato autem certamine, Solem sibi oriri sereniorum deprehendit, componi tempestatem, uberioribus favorum caelestium radiis illustrari, amœnissimis consolationum Favoniis afflari, verbo, Servatorem suum sibi adesse animadvertit. Tum ille, resumpto spiritu, divinum hospitem queribundis hisce alloquiis excipere: *Ubi eras bone IESU? ubi eras? quare non à principio adfuisisti, ut sanares vulnera mea.* Videbaris indormiisse saluti animæ meæ, meique ab integro oblitus; aut à tuo, quod peccata mea merebantur, complexu omnino sequestrasse. *Ubi eras? Ubi eras?* Passus sum gravissimum ab Avernibus Furiis insultum, & jam minis, jam blanditiis, jam verberibus tentatus, & pulsatus. *Ubi eras?* Cerne membra à vibicibus livida, ac sanguinolenta, intuere vestigia insultantium ferarum, & collige, quanto in periculo fuerim. *Ubi eras, ubi eras?* Cui Dominus: Mi Antoni hîc eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te toto orbe nominari. His ille auditis, tantum se illico virium recepisse deprehendit; quantum nunquam antè perdidit.

*Catharina
Sen. infestio.
Surius in
Vita.*

X. Hac eâdem de causa, mirum in modum divexata S. Catharina Senensis; ita ut & ipsa à Domino exoptulaverit, quasi ipsam in conflictu cum Sa-

thana deseruerit. Sed audite, quid retulerit? Nequaquam ita est, sed ego eram in corde tuo, & conatum tuum finemque certaminis inspexi. Non eram præsens oculis tuis, sed eram præcordiis tuis; illos pascere nolui, quatenus hisce abundantius oblectarer.

Vigilat itaque Dominus, & dormit, vigilat ad solatium suorum, dormit ad experimentum industriæ, ac virtutis nostræ desumendum. Ita Eusebius: *Euseb. E. Non dormit Dominus, sed prælium intuetur; certaminis finem, & præliantium fidem expectat.* *miss. l. de Bapt. c. 12.*

XI. Dormit Dominus justis, sed somnum maternum. Quid nonnunquam actitat mater cum filiolo suo? Novit illa esurire filium suum, & mamillam appetere; nihilominus fingit se non audire, quin etiam omnino ronos trahe-re; nutat capite, lassas manus demittit, & jam jam casura videretur, idque hoc unico intuitu, ut infantem ad petendum exacuat. Delusus hoc commento puellus, eam proinde ac somno pressam omni vi excitare adnititur; apprehendit velamen, & trahit, manus amplectitur, & pulsat, ubera distendere contendit, sed omnia incassum; matre dissimulante, & in corde de filii amabili sollicitudine exultante. Tandem ubi puer conclamatis aliis mediis lachrymari occipit, matremque lamentabili voce inclamat; liquefcunt viscera ipsius, evigilare se simulat, infantem amplectitur, affatur blandissimè, mulcet, consolatur, figit basia, ubera exponit, lac offert, laudat, blanditur, & quidquid valet maternus præstare affectus, exequitur.

Ita mater terrestris, ita & Parer caelestis amorem, & blanditias matris æmulatur.

Isa. 49. 15. latat. Numquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Dormire & ipse se fingit, nec nostris prospicere necessitatibus, quin & obsurduisse ad vota nostra. Ubi autem piis pulsatur precibus, trahitur desideriis, ac votis, advigilat, occurrit, obstetricatur, consolatur.

XII. Hunc lusum lusit, cum Josepho Patriarcha, quem tamdiu in ergastulis quadantenus deseruit, quamdiu in pincernæ regis favoribus confidebat. At ubi in spumas illius abiisse sensit promissiones, ad Deum suum eò ardentius confugit, exauditurque est.

Dan. 13. 41. Hunc cum filia illa castissima Susanna, quæ tamdiu premebatur, arguebatur, damnabatur, ad locum supplicii trahebatur, domino cuncta dissimulante, ac connivente, quoad in lamenta effusa exclamaret: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me.* Tunc enim adfuit, eripuit, salvam fecit.

Hunc eundem cum suis hodie lustrat discipulis. Si enim vigilante illo tempestas ingruisset, nequaquam afformidassent, aut ipso intente periculum, ad ipsum conversi, & in vota precèsque fuissent.

Hunc eundem etiamnum ludum versat nobiscum, & cum S Ecclesia sua, in qua universi navigamus, quam concutit, ac quassari tempestatibus finit, quod frigidius invocetur.

XIII. Quid ergo sanctius concipere, quid aptius adinvenire, quid fructuosius exequi in calamitatibus nostris, ac modernis Ecclesiæ possumus; quam ut cum Apostolis ardentissimis precibus Dominum excitemus, & sincero corde, flagrantissimis desideriis, spiritu filiali auxilium illius supplices exoremus.

Nautæ illi, quibuscum solverat Jonas iturus in Tharsis à facie Domini, gentiles fuerant, & tamen territi decumanis procellis illico ad Deum conversi sunt exorantes auxilium. *Timuerunt nautæ, & clamaverunt ad Deum suum.* *Ion. 1. 5. 6.* Et Jonam cum illo articulo sopitum navarchus invenisset, illico excitavit, dicens: *Qui tu sopore deprimeris, surge, invoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de vobis, & non pereamus.* Usquequò tu stertes, mortalium ignavissime. Jam propè actum est de nobis, jam undæ impetu valido insiliunt, jam ad tartara navis deprimitur, jam super æthera sublimatur, & tu vel ignarus & incius periculorum, vel incurius vitæ tuæ resupinaris? Age te ocius, proripe, ad Deum tuum te recipe, & coram eo supplex procumbe. Ita dico, paganos sapere docuit tempestas, minusve nos fideles, & Christianos?

Mergus avis, (Isidoro authore) sic dicta ab assiduitate mergendi, prævidens futuram maris tempestatè, quam velocissimè ad littora clamabunda transvolat, quasi opem cælitus efflagitans, ut ab imminente liberetur periculo. Quòd si hæc avicula solo naturæ instinctu erudita, sese ad asylum recipiens, agnato sibi clamore opem implorat; an nos rationis capaces, insipientia-

Mergi admiranda natura. Isid. lib. 14. Ethym.

ſipientiores erimus, nec in tanta tempeſtate noſtra, & Eccleſiæ œumenicæ ardentius Numen ſupremum invocabimus?

Hoc minimùm facere ſolemus, quando aliàs tempeſtas cæli gravior ingruit, cùm fulgura micant, tonitrua mugiunt, fulguritis cuncta perſonant: quidni idipſum in præſenti agitamus telluris tempeſtate, cur non inclamamus intenſius: *Domine ſolva nos, perimus.* Quid agis ô Domine mi? tu dormis, nos perimus; tu diſſimulas, nos conterimur. *Exurge Domine adjuva nos, & libera nos,* ſi non propter nos, certè propter nomen ſanctum tuum; propter templum tuum, propter Sanctos tuos. *Exurge, evigila ô bone JESU,* & porrige dexteram. Nonne aſpicias quanta pericula, quantæ procellæ tuam cymbam infeſtent, quantæ nos ipſos jaçtitent; ut jam in altum atollant per arrogantiam, jam in profundum demergant per puſillanimitatem, jam huc atque illuc in ſcopu-

los propellant per præcipitia, ac reciprocationem peccatorum. *Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos,* qui jaçtatum Pharaonis tempeſtate populum tuum ex Ægypto ad littus aureæ libertatis devexiſti; qui Daniele ex faucibus leonum eruiſti, qui Joſephum ex pædore ad purpuram ſubvexiſti, qui imperaſti ventis, & facta eſt tranquillitas magna in aliis graviffimis periculis.

Audiat imperium tuum æther, exaveſcat orcus, ſonet vox tua in auribus meis: *Salus tua ego ſum.* Et ſi fuero in profundo maris, latitabo ſecurus, ſi in abyſſo inferni emergam, ſi inter brevia, ac ſyrtis deſperationum, expediam me. Oblatret neſcio quis Cerberus, & dicat: *Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus,* conclamatum eſt de ejus ſalute, tu Domine obtura fauces illius, & dic: *Salus tua ego ſum,* & ſalvus ero. Ita nobis evenire

velit, jubeatque Chriſtus

JESUS. Amen.

